Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 193
Quelle:
Copyright:

lasticarum gratia Universitates studiorum obiret, annoque 1516. *Viennam* quoque delatus esset, in Epistola inde ad Episcopum *Eichstad.* data, quae *Conspectui Hist. Univ. Vien.* P. II. p. 88. inserta est, vidisse se inter Opera a Doctoribus *Vien.* scripta *carnosissimos Commentarios in Librum Geneseos Henrici de Langenstein Hassiae*, illius videlicet *primi Gymnasii Vien. Plantatoris* ab *Alberto* Duce a. 1379. *Parisiis* evocati. Atque primas meditationes horum *Commentariorum* in hunc Codicem effusas esse ab *Henrico* Literae quaedam ad illum datae, quarum dorsis conceptus suos adlevit, locisque suis adsutae credibile faciunt. Agunt hae Literae de permutatione *Praebendae*, qua, quod nemo hactenus dixit, Noster *Leodii* fruebatur. Et prima quidem ad *fol.* 9. est M. *Arnoldi de Emelisse* absque anno scripta *ipso die Johannis Ewangeliste*, cujus partem Codicis compages celat; duae vero ad *fol.* 12. insertae sunt: una subsignata: *Johannes de stralen Scolasticus et confrater vester minimus. Leodij in vigilia natiuitatis christi;* altera: *Servitor vester in omnibus G. de Calker prepositus*, quam *Colonia* datam colligo, quaeque finit: *recommendo etiam vobis M. Ottonem et Guillelmum consanguineos meos ac alios studentes de colonia quos ad studium wień. alias direxi.* Neutra integre per Codicis ligamen legi jam potest; comparent tamen in tergo posterioris haec: *domino Magistro Henrico de — Wyeń. doctori.* Ad *fol.* 50. inserta est Formula Professionis Canonicorum Regular. et *fol.* 128. p. 2. Rudimenta Versiculorum, quibus pangendis delectabatur *Henricus*, comparent. Sunt vero lusus varii de quorundam Animalium indole ad mores adcommodati. Ita:

Qui fugit ut cancer, fugiendo facit sapienter.
Cur? Quia conspectus ad mala semper habet.

Similia de Leone, Serpente, Vulpe, Lupo &c. diversimode rescripta et correcta.

CXXVI.

U. 127 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 276. f. non una manu, probe tamen scriptus, et rubro pernotatus hanc praefert Notam: *Collegio ducali studij Wienn. Magister wolffgangus bewndl* (Heindel) *de swadarff* (pago infer. Austr.) *baccal. sacre theologie formatus, atque collegij prefati collegiatus hunc librum est testatus.* Nihil de hoc Viro signatum reperio praeter gestum a. 1472. Philosophiae Decanatum. Sequitur: *Lecture super exodum et pauli apostoli ad colosenses epistolam pro cursibus per predictum magistrum lecte.* Incipit prior: *Lecturus nunc 2m penthateuci librum Exodum scilicet antequam litteram ipsam aggrediar quedam preuia quemadmodum*